



**Rvperti Ab||batis Monasterii || Tvtiensis Ordinis S.  
Benedicti The||ologi antiqui, Opera duo, ut egregia sanè,  
ita diu desiderata, multoq[ue] || labore perquisita, ac  
sumptu haud ita modico ...**

**Rupert <von Deutz>**

**Colonia, M. D. XXVI.**

**VD16 R 3796**

De Gloria Et Honore Filii Hominis Liber .IX.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71860](#)

# DE GLORIA ET HO-

NORE FILII HOMINIS LIBER IX.



T FACTVM EST, CVM CONSVM  
masser Iesu, precipiens duodecim discipulis suis,  
transiit inde, vt diceret & p̄dicaret in ciuitatibus  
eoz. Iohannes aut̄, cū audisset in vinculis ope Libri  
sti, mittens duos de discipulis suis, ait illi. Quis qui  
venturus est, an alium expectamus? Iohannes pro  
pheta & plus quam propheta erat, sicut de illo in hac ea  
dem lectione dominus ipse testatus est. Quid inquit exis  
tis uideret Prophetam? Etiam dico uobis, & plus q̄ pro  
pheteram. Quis autem prophetarum nesciuit aut tacuit pas  
surum esse Christum? Omnes sciuerunt, omnes praeuun  
ciauerunt, & hodie legentibus clarum est, scripturas eos  
cum ferē per omnem seriem significare salutiferum sacraman  
tum. Hinc Petrus in Actis Apostolorum. Deus autem, qui praeuunciauit per os om  
nium prophetarum, pati Christum suum, impleuit sic. Istud enim ignorare, illorū erat, qui  
prophetas, aut non legerant, aut non intellexerant. Quomodo ergo saltem propheta, ne di  
cam plus q̄ propheta, diceretur aut esset? Cum per huiusmodi rationem adducti, recte  
fenserimus, qui Iohannes, sicut cetera Christi sacramenta, ita & hoc ipsum sciebat quod  
interrogabat, refutat, ut quāramus, quid interrogauerit dicendo, tu es qui uenturus es, an a  
lium expectamus? & quid opus fuerit ut hoc interrogaret missus discipulis duobus. Profe  
tò hoc interrogauit, utrum ipse esset Messias, id est Christus, qui utiq̄ expectabatur uen  
tus, ita ut mulier quoq; Samaritana dixisse legitur. Scio quia Messias uenit, qui dicitur  
Christus. Cum ergo uenerit, ille nobis annunciat omnia. Nec mirum q̄ hic in una ea  
dēmī re circa unam eandemq; personam, præsenti simul & futuro tempore uetus est, dicē  
do, tu es qui uenturus es. Nam & turbæ, quas partauerat de quin y panibus & duobus pis  
cibus, ita dixerunt. Quia hic est uere propheta, qui uenturus est in mundum. Et hic & illic  
quod dicitur uenturus, id est, ac si diceretur, de quo scripturæ siue prophetæ testati sunt, q̄  
el se uenturus. Hoc igitur (ut iam dictum est) interrogauit, utrum ipse esset Christus, ab a  
liis hoc nomine esset expectandus. Cur autem hoc interrogauit eum, quem ipsum esse,  
prophetando, baptizando, ostendēdo, clamauerat? Vtq; magnam ob causam, quā Euani  
gelista non præteriuit, præmittendo, cum audisset Iohannes in vinculis opera Christi.  
Quidnam sibi uult dictio huiusmodi, audisse Iohannem in vinculis opera Christi, & iccir  
co missis duobus discipulis interrogasse illum interrogatione huiusmodi? Nonne idem Io  
hannes, antequam missus fuisset in carcerem, audierat opera Christi, quo illud pulcher  
ritum fuit, quod iniuitatus ad nuptias, aquam in uinum conuertit? Nonne & uocem audi  
erat pars de celo super eum dicentes, tu es filius meus dilectus, in quo mihi bene compla  
cū? Si interrogatione opus erat, cur non illis prioribus signis commonitus interrogauit?  
Perpendenda igitur subtilis est causa, quam (ut iam dictum est) Euangelista significauit,  
præmitendo. Iohannes autem cum audisset in vinculis opera Christi, Nimirum hoc uult  
intelligi, quia cū opera eius reuera esset opera Christi, id ē, talia opera, qualia nemo aliis  
facere potuisse, nisi solus ipse Christus filius deit: inter ipsa tamen opera, Christum se esse,  
palam nō dicebat, ita & discipulos suos hoc dicere prohibebat. Exempli gratia. Cum in  
terrogasset discipulos suos dicens, Quem dicunt homines esse filium hominis, ac subinde  
Vos autem quem me esse dicitis? Respondente Petro, tu es Christus filius dei uiui, illum  
quidē beatificauit pro cognitione & confessione ueritatis, sed prohibuit eos dicere in uul  
gus, sicut protinus reseru Euangelista. Tunc (inquiens) præcepit discipulis suis, ne cui dī  
cerent q̄ ipse esset Christus. Causam quoq; propter quam istud præcepit, ex his quæ  
continuo sequuntur, promptū est agnolci. Exinde (inquit Euangelista) coepit Iesu ostē  
dere dī

CAP. XI.

Quæstio sup  
interrogatio  
ne Iohannis.

Actu. 3.

Responso

Iohan. 4  
Tuis qui uen  
turus es.

Iohan. 6

Causa, eur sic  
in interrogatio  
ne Iohannes.

Iohan. 2.  
March. 3.

Math. 14.  
Lucas. 9.

CXXII. R V PERTI IN MATTHAEI. CAP. XI.

dere discipulis suis, quia oporteret eum ire Hierosolymam, & multa pati à senioribus & scribis & principibus sacerdotum & occidi & tertia die resurgere. Deniq; per occasione, siue accusationem regij nominis, scilicet Christi, futurum erat ut tradiceretur gentibus à Iudeis dicentibus. Omnis qui se regem facit, contradicit Cæsari. Si hunc dimittis, non es amicus Cæsar. Maxime hanc ob causam ita præcepit. Ergo ne hoc dicimus, quod mortem refugere uoluerit, & in circo mortis occasionem, scilicet regium nomen tacuerit, & discipulis suis, ut de hoc tacerent, præcepit. Nequaquam, sed sicut morte eius oportebat non multum differri, ita profecto expediebat non nimis accelerari. Prius oportebat condicatum, & tanta fieri quanta facta sunt, quorum pars aliqua conscripta, sufficientibus testimonijs probare posset Christianæ fidei sacramentum. Vbi tempus fuit, postq; & docuit, & signa sufficientia fecit, tunc (quod ualde notandum est) non solum neminem prohibuit uerū etiam turbam multam & pueros multos admisit sibi ad publicam acclamationem regij nominis, dicentes, Osanna, benedictus qui uenit in nomine domini, benedictum quod uenit regnum patris nostri David, benedictus qui uenit rex in nomine domine, pax in celo & gloria in excelsis. Demonstratum est, quia dominus noster ante tempus sue passionis, licet filii dei se esse edixerit, & operibus cōprobauerit: tamen regium nomen, qd est Christus, quia nimis inuidiosum foret, non solis Iudeis uerū etiam Romanæ potestati, & ipse tacuit, & discipulis suis ut de hoc tacerent præcepit. Hoc in circo demonstrauimus, ut consequenter elucescat, qualis esse potuerit sollicitudo Iohannis, qui cum audisset in vinculis opera Christi, mittens duos de discipulis suis, ait illi. Tu es qui uenturus es, an aliud expectamus? Qualis ergo sollicitudo eius fuit! Pro qua re sollicitus fuit. Auribus nostris audiimus, audiendo experti sumus, etiam adhuc dicere Iudeos aduersarios nominis huius. Vos dicitis, discipuli eius dixerunt, ipse tamen non dixit, quod ipse esset Christus, quod ipse esset Messias quem nos expectamus. Putas ne quod & discipuli eiusdem Iohannis, qui æmulantes pro magistro suo, nonnunquam talia loquebantur, quale est illud. Rabbi qui erat tecum trans Iordanem, cui tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat, & omnes uenient ad eum, putas ne (inquam) quod aliquando etiam istud dixerint. Rabbi, tu illum Christum esse dixisti, ipse autem Christum se esse non dicit. Volens igitur ipsius ex ore auditum esse, quod Christus ipse esset, & sciens, quia ille fidelis permanet, negare scriptum non potest, mittens duos de discipulis suis, ait illi. Tu es qui uenturus es, an aliud expectamus? Et respondens Jesus, ait illis. Euntes, renunciate Iohanni, que audiistis & vidistis. Ecce uident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgent, pauperes euangelizantur. Et beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me. Illis autem abeuntibus, coepit Jesus dicere ad turbas de Iohanne. Quid existis in desertu videre? Harundinem vteo agitata? Sed quid existis vide re? Hominem mollibus vestitum? Ecce qui mollibus vestuntur, in dominibus regum sunt. Sed quid existis videre? Prophetam? Ecce dico vobis, & plus qd prophetam. Hic est enim, de quo scriptum. Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui preparabit viam tuam ante te. Diligenter animaduerte, o lector siue auditor, qualis, quam rei uel temporis congrua fuerit responsio haec. Deniq; in Malachia, ubi scriptum est illud quod edixit, Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam qui preparabit viam tuam ante te, continuo sequitur. Et statim ueniet ad templum sanctum suum dominator, quem uos queritis, & angelus testamenti quem uos uultis. Ecce uenit, dicit dominus exercituum. Forte optares, o tu quicunq; es discipulus Iohannis, discipulus gratiæ domini, neccum tamen perfectus ad cognoscendum, in quo sit constans illud quod habes in psalmo totiens decantatum. Eloquia domini, eloquia casta, argenteum igne examinatum, optares (inquam) ut ad interrogationem istam, tu es qui uenturus es, an aliud expectamus, responderet, ego sum, nec alius est expectandus. Ester quippe responsio haec eloquium castum, argenteum uerum: sed apud homines non uideretur eloquium castum, non estimaretur argenteum igne examinatum: quippe quorum dijunctio tam est in qua, ut ipse sciens & prouidens diceret, maxime pro sua persona. Amen dico uobis, quia nemo propheta acceptus est in patria sua, Sapiens igitur & ipsa sapientia, inde protulit suæ responsio

Iohan. 5

Matth. 27  
Marci. 15  
Luce. 20

Qualis fuit  
sollicitudo Io  
hannis.

Iohan. 5

z. Tino. 2,

Malach. 3,

Ibidem.

Plalm. 55.

Luce. 4

DE GLORIA ET HON. FILII HOMI. LIB. IX. CXXIII.

responis eloquium castum, ubi nihil est dictum uel scriptum quod non sit argentum igne examinatum, nec audet dicere quisquam, nisi implus, quod non sit irrefragabiliter ue-  
rum. ¶ Nunc igitur quoniam & nos discipuli sumus gratiae domini, & dominus Iesu ad  
turbas loquitur de Iohanne, syllogismum amabilem perficiamus. Proponit ipse Christus  
Hic enim, de quo scriptum est. Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui  
præparabit uiam tuam ante faciem tuam. Assumamus nos. Sequitur autem protinus in  
eodem propheta. Et statim ueniet ad templum sanctum suum dominator, quem uos que-  
atis, & angelus testamenti quem uos uultis. Concludant omnes turbæ Christianorum.  
Igitur iam non est expectandus alius, certissime enim iam uenit, qui expectabatur uenitu-  
rus dominator quem uos quærebatis & serui dominis angelus testamenti quem uolebatis &  
uos quibus & testamentum creditum fuit & promissio, eius spem in testamento ipso iste  
magni consili angelus confirmauit. Iam (inquam) uenit statim quippe illum secundum ue-  
ritatem scripturaræ uenire oportuit, ubi missus est iste angelus ad hoc destinatus, ut pararet  
uiam ante faciem eius. ¶ Si autem de facie dominatoris huius dubitatis & dicitis, ubi est ille  
uel quis est ille qui iam uenit, si uobis nō sufficit index digitus dicentis. Ecce agnus dei, ac-  
cipe aliud testimonium, quod huic testimonio scripturaræ præmisit. Cæci uident, claudi  
ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes euangelizantur.  
Hoc testimonium operum, quæ utiq; sunt opera Christi, quæ Iohannes in uinculis audi-  
vit, quæ nemo aliis nisi Christus facere potuit. Hoc (inquam) testimonium cum illo testi-  
monio scripturaræ collatum, ad quod misit nos dicendo de Iohanne, Hic est enim de quo  
scriptum est. Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, non sinit ignorare, nisi eum,  
qui uult illum Iesum à Nazareth, qui putabatur filius Joseph, illum esse dominatore & an-  
gelum testamenti quem quærebatis, quem uolebatis. ¶ Hoc plane Iohannes quondam  
nesciebat, uidelicet quis homo, quali facie uel habitu inter homines ambularet, apud quos  
fue inter quos nutritus esset is qui rex Christus dici uel esse deberet, à quo mūdum uniuersi-  
tum & ipsum Iohannem baptizari oporteret. Sciebat tanquam propheta quod iam uenit  
sed, sed nesciebat quis nam, ubi nam ille esset, prius quam spiritus sanctus demonstraret eū,  
descendens sicut columba, & manens super eum. Hinc ipse dicebat. Et ego nesciebam es  
tu, sed ut manifestaretur in Israhel, propterea ueni ego in aqua baptizans. Item. Et ego  
nesciebam eum, sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit. Super quem uideris spi-  
ritum descendenter sicut columbam, & manentes super eum, Hic est qui baptizat in spi-  
ritu sancto. ¶ Hoc nimis pro sinceritate testimonium sui dixit, uolens scire auditores,  
quod non pro fauore humano testimonium illi perhiberet, testem idoneum esse designas  
eum, qui in testificando non personam attendit, sed causam, ut ipse, qui in testimonio suo,  
cum scire causam, nondum sciebat personam, Hoc (inquam) nesciebat, & salua prophe-  
tice gratiae magnitudine, nescire poterat quis homo, quali facie uel habitu esset Messias,  
id est Christus, quem uenisse constabat. Sic Samuel sciebat quidem de filiis Iisai electum  
iam esse regem, locuto ad se domino, prouidi enim mihi in filiis eius regem, sed quis filios  
rum eius esset dei electus, nesciebat, in tantum ut diceret usq; Heliab. Num coram domi-  
no est Christus eius? Similiter in ceteris filiis ita suum executus est officium, & domini ex-  
pectauit indicium, ut cum tandem uenger Daud, reuera dicere posset, & ego nesciebam  
eum. ¶ Ecce quod quærebat Iohannes interrogando dicens, tu es qui uenturus es. Hoc  
enim ille fidelis amicus quærebat, hoc intendebat, ut non contentus filius dei testimonio  
Iohannis, maiori testimonio manifestaret se, testimonio dei patris sui, quemadmodum a/  
pud alium Euangelistam ipse dicit Iudeus. Vos misistis ad Iohannem, & ille testimonium  
perhibuit ueritati. Ego autem ab homine testimonium non accipio. Item. Ego autem ha-  
bo testimonium maius Iohanne. Opera enim, quæ dedit mihi pater ut perficiam ea, ipsa  
opera, quæ ego facio, testimonium perhibent de me, quia pater me misit. Et cætera usque  
scrutamini scripturas, quia uos putatis in ipsis uitam æternam habere, & illæ sunt quæ testi-  
monium perhibent de me. Quæ nam sunt opera quæ dedit pater in testimonium huic fi-  
lio suo Iesu Christo, nisi ista quæ nunc dicit, cæci uident, claudi ambulant, leprosi mundan-  
tur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes euangelizantur. Et quæ uel quales sunt scri-  
pturæ.

Syllogismus  
ex propheta  
Malachia.

Roma. 3.9.

Testimonialis  
ex operibus.  
Iohani. 3.

Lucas. 3  
Quo Iohans  
ni reuelatus  
est Christus

Iohani. 1.

Synecerus tes-  
sis Ioh. Bap.

i. Reg. 16

Maius testi-  
monium Iohan-  
ne, tū ex opib;  
bus, tū ex scri-  
pturis de  
Christo.  
Iohani. 5.

CXXIII. RUPERTI IN MATTHAEI. CAP. XI.

pturæ, quas scrutari præcipiens, & illæ sunt (inquiens) quæ testimonium perhibent de mei nisi quales hic degustare potes in isto capitulo? Hic est enim de quo scriptum est, ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui preparabit viam tuam ante te: si tantum sequentia perlegas. ¶ Ecce igitur, quod cupiebat Iohannes ex ore ipsius auditum esse testimonium maius Iohanne, inquit testimonia, de quibus recte dixerit Psalmista. Mirabilia testimonia tua, ideo scrutata est ea anima mea. Sunt enim duo testimonia hic, alterum mirandorum operum, alterum in declaratio[n]e scripturarum. Vere mirabilia testimonia hæc, & ideo scrutari ea debet anima nostra. ¶ Primum ita scrutandum est, ut non solummodo respiciamus eos illos, qui tunc corporaliter illuminati viderunt, claudos illos qui tunc corporaliter ambulauerunt, leprosos illos qui tunc corporaliter mœdati sunt, surdos illos qui tunc corporaliter audierunt, mortuos illos qui tunc in corpore resurrexerunt. Ibi namque non perfectio sed initium erat opera, quæ dedit mihi pater (ait) ut perficiam ea. Vbi ergo uel quando fecit eas? Nimirum in morte & resurrectione sua, quando mortem nostram moriendo desuicit, & uitam resurgendo reparauit, ita ut iam non moriatur, mors illi ultra non dominetur, quod & de nobis non incerti speramus. Et tunc dato spiritu sancto perficit opera ista, quia vere cæci uident, claudi ambulant: qui nimirum cæci, qui claudi, qui leprosi, qui surdi, qui mortui, qui pauperes nos eramus, & hoc nobis multum debet valere ad testimonium huius respondentis pro se, quia per fidem eius uidemus, ambulamus, mundati sumus, audi mus, à morte peccati innumerabiles secundū exemplum Mariae resurrexius & ita euangelizati sumus, ut qui pauperes eramus, diuites in uerbo & scientia facti sumus. Prout potuit animus fidelis, limare atq[ue] polire conatus est aurum loci præsentis, quatinus & intentionem Iohannis interrogantis, & maiestatem Christi ad interrogata respondentis, ex uerbis ipsius dilectoris sue auditor, splendidius apparentem agnoscere possit. ¶ Nunc illud non præterire libet, quia testimonium testis suo Iohanni pulchra uicissitudine reddens iste testis fidelis, ualde congruum secundum rem ipsam initium sumpsit. Quid (inquit) existis in desertum uidere. Scindum quippe, quia cū diceret, tunc neq[ue] Iohannes in deserto, sed in carcere erat, neq[ue] Christus ipse in deserto, sed in qualibet ciuitatum loquebatur ad turbas, de Iohanne. Sic enim præmissum est, quia præcipiens apostolis suis duodecim, transiit dōceret & prædicaret in ciuitatibus eorum. Ergo ad illum exitum turbarum respexit, & illius exitus turbas memores esse uoluit, de quo Marcus ita præscribens, initium sancti euangelij Iesu Christi filii dei, statim subiunxit. Sicut scriptum est in Esaia propheta, Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam, qui praeparabit viam tuam. Vox clamantis in deserto, parate viam domini, rectas facite semitas eius. Fuit Iohannes in deserto baptizans & prædicens baptismum penitentiae, in remissionem peccatorum. Et egrediebantur ad illum omnis ludæ regio, & Hierosolymita uniuersi, & baptizabantur ab illo in Jordane flumine, confitentes peccata sua. Memorabiles illos exitus turbarum ipsa Iohannis uerba nobis fecerunt: inter quæ illud maximum fuit, quod existimante populo, & cogitantibus omnibus in cordibus suis de eo, ne forte ipse esset Christus, confessus est & non negauit, & confessus est quia non sum ego Christus. Propterea testis iste fidelis, qui testimonium rediturus est omnibus in die iudicij, & pro merito suo singulis harundinem (inquit) uento agitatam existit uidere? Non utiq[ue], quia non flexus est, non inani gloriæ cessit, & pro nihil habuit popularum auram sue uentum tantæ existimationis. ¶ Aliud fuit quod hominibus placere non curans, ipsum Herodem arguit, non licet (inquiens) tibi habere uxorem fratris tui. Propterea subiunxit. Sed quid existis uidere? Hominem mollibus uestitum? Non utiq[ue], quia ecce qui mollibus uestiuntur, in dominibus regum sunt. Iohannes autem non in domo, sed in carcere regis est. Homines mollibus uestiti, id est adulatores, qui regum suorum adulantur peccatis, tractabiles atq[ue] suaves dominatoribus tanquam beneficis, cum sint iniqui, sicut Herodes patrator adulterij, ecce in dominibus coniuncti circa latera regalia comedunt & bibunt. Iohannes autem spinosus, & aspero uestitu armatus, ita ut palpari non possit, iuxta illud. Verba sapientium, quasi stimuli, & quasi clavi, in altum defixi. Hic talis extra coniuvium in carcere clausus est, nec aliter admittitur in illas domos regum, nisi ita, ut afferatur caput eius in disco, saltatricis præmium, saltationis præmium.

Psalm. 118.

Opus Christi  
plus spiritus  
in corpora  
facta respici  
debent.

Iohan. 4.

Roma. 6

Lucas. 7  
1. Cor. 1.

Apoca. 1.  
Quid existis  
in deserto

Marci. 5.  
Elaia. 40

Iohan. 1.

Matth. 14.  
Marci. 6.

Eccles. 12.

Dux

¶ Dux iste interrogationes, quibus singulis fine dubio subiungitur, non auditorem atten-  
tum fecerunt ad interrogationem tertiam, cui ipse qui interrogat subiungit hoc etiam mo-  
do. Sed quid existis uidere Prophetam? Etiam dico uobis, & plus quam prophetam. Et  
ita esse, ratione subiecta protinus probat. Hic est enim (ait) de quo scriptum est. Ecce e-  
go mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. Attentis  
nang⁹ auribus hic opus erat, ut auditio hoc scripto, non sole quæ tunc præsentes aderant  
verbæ, uerum etiam omnes populi siue gentes quæ hoc erant audituræ, oculos aperirent,  
circumspicerent, & perlegendi sequentia capituli huius, quorum supra iam meminimus,  
scirent quid uel quantum esset responsum ad intentionem interrogationis huius, tu es qui  
uenturus es, an alium expectamus? Et quid uel quantum hoc est? Nimirū hoc tale uel tan-  
tum est, ac si diceret. Iohannes ante faciem meam officium agit angeli, quod uidelicet offi-  
cium angelii, quantum distet ab officio prophetæ, debet scriba doctus querere & profer-  
re scripturis sanctis. Quibus requisitis, audire & dicere poterit. ¶ Angelorum officium  
est, non solum res uenturas siue iam instantes pronunciare, uerum etiam ad certas mitti p-  
sonas, per quas oporteat administrari res ipsas, & eorum corda præparare colloqui sui pre-  
paratione, qui digni sint operatione diuinitatis, quam oportet fidem, per quam iustus uincit  
familiariter peruenire. In hoc officio primi, post uerbum promissionis, fuerunt illi tres an-  
geli, qui apparentes Abrahæ in figura sanctæ Trinitatis, hospitio eius fuerunt recepti, lo-  
quente in ipsis domino, ac dicente. Reuertens ueniam ad te tempore isto, uita comite, &  
habebit filium Sara uxori tua. Nouissimus angelorum, qui eiusdem promissionis adminis-  
tratorii fuerunt, Gabriel ad Mariam missus est uirginem, ut præparabilem eius mentem  
præpararet annunciatione ista. Ecce concipies & paries filium. ¶ Porro prophetarum of-  
ficium fuit, promissionem eandem siue aduentum eius, absq; certis pronunciare personis.  
Exempli gratia. Audite ergo (ait Esaias) domus David. Ecce uirgo concipiet & pariet si-  
lum, & uocabitur nomen eius Emanuel. Nec iste, nec quisquam aliis prophetarum, ad  
certam aliquam personam missus est, ut tale quid euangelizaret, nisi iste plus quam proph-  
eta Iohannes, qui ad hoc missus est, ut præsentem Christū hominibus dixito demonstrans,  
uiam ante faciem eius ipsa demonstratione præpararet. Pro hac excellentia Iohannes, plus  
quam propheta, & angelus est. Vnde adhuc testis iste fidelis, Iesus Christus, clarissima te-  
stificatione intonat. Amen dico vobis, non surrexit inter natos mulierum maior  
Johanne Baptista. Qui autem minor est in regno cœlorum, maior est illo. Nota  
orbi uniuero celebris atq; clarissima sententia hæc, hoc solo indiget, ut intentio quoq;  
tantu[m] testimonij nota sit, id est, ut sciatur, quæ causa fuerit, ut eo potissimum loco uel tem-  
pore de precursoro suo dominus testimonium proferret tantæ magnitudinis. ¶ Quam er-  
go putamus fuisse causam, nisi magna humilitatem beatissimi Iohannis? Ille namq; plus  
quam propheta, sciens se non esse seruandum temporis illi, quo palam predicari deberet  
mysterium sacrosanctæ incarnationis Iesu Christi filii dei, hoc ipsum ascriberat siue indi-  
gitavit, ita ut diceret, prius quam in carcerem missus fuisset. Qui post me uenturus est, for-  
tior me est, cuius non sum dignus calciamenta portare. Nonne hoc ipsum dicebat apud se  
quando tenebatur in vinculis occidendum, & sic ad tempus illud non peruenturus? Nimi-  
us amicus sponsi, beatos & omni honore dignos existimabat illos, quibus contin-  
get calciamenta illa portare, id est, incarnationis illius mysteriū tempore oportuno pa-  
lam omnimundo prædicare, licet nullus ad plenum, sicuti est, tante rei sacramentum po-  
merit aut possit euoluere: se ipsum autem illis beatis longè imparem, longè minorem, pro-  
pter hoc ipsum, quia morte preueniente futurum erat, ut non posset illa calciamenta por-  
tanum, hoc euangelium prædicantium, socius aut conuiuator existere. Consolatum igit  
tum illum existimat consolacione magnificentiæ huius, quia profecto, si non inter natos  
mulierum, nec inter Apostolos siue Euangelistas, qui utiq; natu mulierum sunt, surrexit  
quisquam maior Iohanne Baptista. ¶ Quis tandem ille est minor in regno cœlorum, qui  
maior est illo? Putas ne angelus minoris meriti, quo omnes angelii, quantumcumq; diuersi  
sunt merita ordinis, maiores sunt eo, quod ille minimi sit meriti? Sed illum nescimus,  
quis sit. Nec enim scriptura de eiusmodi quicquam nobis annunciauit. Nunquid uero re-

Iohannes pro-  
pheta & plus  
q; propheta.

Malnch. 3.

Angelorum  
officium.

Gene. 15. 17.  
Ib/dem. 18.

Luce. 1.  
Prophetarū  
officium.  
Eliae. 7.

Magna humi-  
litatis Iohannis.

Matth. 3.

CXXVI. RUPERTI IN MATTHE. CAP. XI.

gnum cœlorum de solis angelis, & non etiam de hominibus consistit? Solet etiam regnum cœlorum ecclesia præfens intelligi, ut illic. Mittet filius homini angelos suos, & colligent de regno eius omnia scandala. Neque enim in illa ecclesia celesti scandala erunt, quæ possint auferri. Ergo ne quisquis in isto regno cœlorum minimus, uel minimi est me-

**Ille minor in reg. cœloruz Christus. est.**

riti, maior Iohanne erit: Nimirum iuxta hunc sensum contraria sententia obueniet, ut consequenter dicat. Inter natos mulierum non surrexit minor Iohanne Baptista. Quæ rendus est igitur ille minor in regno cœlorum, quis sit, & cito inuenitur, quia in ueritate ipsæ est qui hæc loquitur, CHRISTVS Iesus filius dei, minor uel minimus omnium nostrum, minor cunctis parvulis, humilior humilibus cunctis, miro modo ministrans ut minimus, regnans ut maximus, quemadmodum dicit. Qui maior est uestrum, erit minister vester.

**March. 20.**

**Lucæ. 22.**

Item. Nam quis maior est, qui recumbit, aut qui ministrat? Nonne qui recumbit Ego autem in medio uestrum sum, sicut qui ministrat. Et ego dispono uobis, sicut dispositi mihi pater meus, regnum, ea uidelicet dispositione, ut ibi tanto quisque sit maior, quanto apud se est minor, id est humilior. Diceret aliquis, Vbi est illud regnum? Aut quando ueniet illud regnum cœloz? Ait ergo. **A diebus autem Iohannis regnum cœloz viim patitur, & violenti rapiunt illud.** Apud alium Euangelistam interrogatus idem dominus à phariseis, quando uenit regnum dei, dixit eis. Non uenit regnum dei cum observatione, neque dicent, ecce hic aut ecce illic. Ecce enim regnum dei intra uos est. Plus aliquid hic dixit, attamen ad idem respicit. Cum enim prædicaret dicens. Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum, profecto nescientes mysterium regni dei, sœpe querebat, sœpius inter se conferebat, ubi nam esset aut quando ueniret illud regnum dei. Proinde ipse uolens eos scire, quia regnum dei præsentia esset aduentus ipsius regis Christi, & quod in illud regnum introire, hoc esset, pœnitentiam agere secundum prædicationem uel testimonium Iohannis Baptiste: & illic interrogatus à phariseis, dixit. Ecce enim regnum dei intra uos est, & hic cogitationibus turbarum respondens, à diebus autem (inquit) Iohannis Baptiste regnum cœlorum viim patitur, & violenti rapiunt illud. Ac si diceret. Non sicut olim, ita & nunc, regnum dei sive regnum cœlorum de longe quo uenturum expectatur, sed iam uenit, iam intra uos est, ita ut apprehendi possit, tamq; manu apprehenditur, manu rapitur, viim patiens à violentis, id est, à peccatoribus peccantibus, & hoc à diebus Iohannis Baptiste, nam ante illum non ita erat. Ante eius dies prænunciabatur, & nondum uenerat. Hoc est quod continuo sequitur. Omnes enim prophete, & lex usque ad Iohannem prophetauerunt. Et si uultis recipere, ipse est Heliæs qui venturus est. Qui habet aures audiendi, audiat. Prophetauerunt, id est, uenturum fore Christum, prænunciauerunt. Iohannes autem post omnes illos ueniens, non prophetat, utili, aut prænunciat, sed dígo demonstrat. Statim ut ille uenit, uenisse constat regnum dei, secundum supra memoratam prophetiam ueritatem, ubi præmisso ecce ego mitto angelum meum, & præparabit uiam ante faciem tuam, continuo sequitur, & statim ueniet ad templum sanctum suum dominator, quem uos queritis, & angelus testamenti, quæ uos uultis. Itaq; sicut iam de illo est, omnes prophetæ & lex usq; ad Iohannem prophetauerunt, subauditur de primo ad uero Christi sive regni dei à diebus autem eius usq; nunc, id est, quæcum diu dicitur nunc, sive (ut Apostolus dicit) dum dicitur, hodie si uocem eius audieritis, scilicet ab illis diebus Iohannis usq; ad consummationem seculi, iam non prophetatur aut non prænunciat, sed præfensa est regnum dei & violenti scilicet peccatores, qui propter peccata sua nihil iuris haberent in regno dei, fortes facti per spiritum humilitatis, qua Moyses homo mortalis uolentem irasci deum, tenere potuit: rapiunt regnum dei pie violenti: & ipsum regnum dei viim patitur, & non quomo docunt, sed libenter patitur viim eiusmodi, & hoc fit usq; nunc, id est, usq; ad summationem seculi, ita se habet res à diebus Iohannis. Et si uultis (ait) recipere, si uultis scripturam sive prophetiam spiritualiter intelligere, dicente m. Ecce ego mitto uobis Heliam prophetam antequam ueniat dies domini magnus & horribilis, & conuertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum, ne forte ueniam & percutiam terram anathemate. Si (inquam) uultis recipere, ipse est Heliæs qui uenitur uel id est,

**Lucæ. 17.**

**March. 4.**

**Reg. coel. uim patitur.**

**Hebreæ. 4.**

**Malach. 3.**

**Exodi. 32.**

**Malach. 4.**

de quo legitis quia uenturus est. Helias utique non proprietate personæ, sed spiritu & uirtute. Magnum sacramentum, magnum mysterium. Propterea dicit. Qui habet au-  
res audiendi, audiat. ¶ Hic iam forte querat aliquis, quicunque est ille qui audiuit. Et Quæstio  
si in ceteris Iohannes spiritum & uirtutem Heliae habuit, nonne multum dissimilis uer-  
nit illi, saltem in zeli magnitudine? Helias namque zelo zelatus sum (ait) pro domino deo  
exercitum, interficerat enim gladio prophetas Baal, quadringentos & quinquaginta ui-  
ros, & ita non solum uerbo redarguis, uerum etiam ferro persecutus est impietatem regis  
Ahab, & uxoris eius Iezabel. Iohannes nihil tale fecit. Nam uere quidem sicut de Helia  
dictum est, ita & de Iohanne dicere conuenit, quia surrexit sicut ignis, & uerbum ipsius Ecol. 42.  
quasi facula ardebat. Verbi gratia, ut diceret. Genimina uiperarum, quis ostendit uobis su Match. 13.  
gera uentura ira, facite ergo fructus dignor pœnitentia, iam enim securis ad radicem ar-  
borum posita est, & his similia: sed neq; securi neque gladio materiali quenquam percussit  
In dō ipse gladio caput amisit in carcere Herodis & Herodiadis. Helias autem furorem A. Marci.  
hab & minas Iezabel curru igneo subleuatus eusafit. Nonne ergo uel in hoc magna est dis- 4. Reg. 2.  
similitudo istorum scilicet Heliae & Iohannis? ¶ Ad haec ut breuiter respondeam, dicens  
dum in primis, quia sicut dominus noster hic elocutus est, dicens. Omnes enim prophetæ Responso d.  
& lex uulg ad Iohannem prophetauerunt, subauditur Christi aduentum, iam uero non est usu gladij.  
prophetandum, quia uenit quem prophetabant uenturum uera citer dicas, quia non sa-  
lus Helias, sed & omnes sancti & iusti usq; ad Iohannem, recte & necessario feso gladijs  
accinxerunt, in gladio percusserunt, & sicut ante nos dictum est, uerberauerunt tyranos,  
sacrilegos interfecerunt: A diebus autem Iohannis, nec ipfi Iohanni, nec alicui uiro spiri-  
tuali propositi conceditur euaginare gladium. Sed conuerte (ait dominus) gladium tuum Matth. 26.  
in locu suum, & quod uni Petro dixit, omnibus dicit, satis est, sinite usq; adhuc. Et est sen-  
sus, t His usq; necessarium, ut omnes expectatores regni dei, quoniam nondum uenerat Lucae. 22.  
materialibus uerterentur gladijs ob defensionem generis sui, cuius de carne iuxta promissi-  
ones oportebat uenire regnum, deit quod uidelicet genus eorum, si (ut uolebat diabolus)  
sufficeret a gentibus extirpatum, non esset unde implerentur promissiones: sicut succisa arbo-  
reunde fructu spores. Itaque usq; huc, ait, subauditur, gladij necessarij fuerunt, iam sinistre  
satis est. Igitur partem istam spiritus Heliae, quæ est zelo bono in gladio percutere, non re-  
quimus in Iohanne, item gaudemus in eo desuississe: quia teritoris alterius Iohannes  
initium fuit, ita ut tempus superius respiciens, recte dicas pro causa quam dixi. Tempus Ecol. 43.  
occidendi, & tempus sanandi. Tempus belli, & tempus pacis. Haec tenus iuxta intentio-  
nem interrogantis Iohannis respondens summa sapientia perorauit, & responsio eius per  
istam uiam, qua gradimur, lucem sparfit, ut uideamus, & non ignoremus illud, quod Io-  
hannes discipulos suos scire uoluit, tritteris illos ad interrogandum, tu es qui uenturus es,  
anulum expectamus. Tandem operæ preclsum est scire conclusionem huiusc orationis,  
qualis sit. Ait. ¶ Lui autem similem existimabo generationem istam? Similis  
est pueris sedentibus in foro, qui clamantes coequalibus dicunt. Ecce inimicus  
vobis, & non saltastis, lamentauimus, & non planristis. Venit enim Iohannes  
neque manducans neque bibens, & dicunt, demonium habet. Venit filius  
uis dominis, manducans & bibens, & dicunt. Ecce homo vorax & potator vini,  
publicanoz & peccatorum amicus. Et iustificata est sapientia a filijs suis. I  
Sensus est. Dixi uobis de Iohanne, quia angelus, quia Helias est, angelus non societas  
te naturæ, sed officij dignitate. Helias non proprietate personæ, sed spiritu & uirtute. Et si  
habet aures audiendi, cōsequenter audire & intelligere debuistis, quia ego sum dominus  
tor quæ uos queritis, & angelus testameti quæ uos uultis, & nūc ueni pro salute gerieris hu-  
mani, ante q; ueniet dies meus, dies iudicij magnus & horribilis. Vos autem neq; p̄cursionē es-  
tis neq; aduentū meū suspere parati estis, aut parari uultis, contra uos iniquos diuisi, & q;  
imparati finis utriusq; probabit, finis meus finis Iohannis. ¶ Cui ergo similem dicam Pueri Rultz  
generationem istam: cuius tempore & Iohannes quasi angelus p̄uenit, et ego dñator statim  
veni, tricinta annos & paulo plus uobiscum morati, qui sunt dies unius generationis? Si  
milis est

CXXVIII. RUPERTI IN MATTHAE. Cap. XI.

milis est pueris sedentibus in foro, & cætera. Quām boni pueri, qui dicunt, cantauimus, lamentauimus: q̄ mali & q̄ stulti pueri, quibus dicunt, non saltastis, nō planxitis. ¶ Puerorum cantantium primus & præceptor optimus erat ipse dominus noster Iesu Christus, de quo deus pater in Esaia loquitur. Ecce puer meus, exaltabitur, & eleuabitur, & sublimis erit valde. Et alibi puer idem ipse dicit. Ecce ego & pueri quos mihi dedit deus. Huiusmodi puerorum cantatio fuit, quam puer iste primus sic incepit, ut cum publicanis & peccatoribus manducaret, quatenus per hanc benignissimam condescensionem beniuoli redderetur ad audiendum bonum nuncium, scilicet paratam sibi esse remissionem peccatorum. Ad huiusmodi cantationem Iudei non saltauerunt, non exultaerunt, non in bonis oportibus se se excitaerunt, immo cantanti huic & pueris eius, scilicet Apostolis, inuiduerūt, & ipsum maxime blasphemauerunt. Propterea dicit. Venit filius hominis manducans & bibens, & dicunt. Ecce homo tuorans, & potator uini, publicanorum & peccatorum amicus. ¶ Puerorum lamentantium primus uel maximus erat Iohannes, qui peccatis arguitur, endis asperritimus, Genimina (inquit) uiperarum quis ostendit uobis fugere à ventura. Erat autem uestitus pilis camelii, & zona pellicea circa lumbos eius, & locustas & mel sylo uestre edebat. Hoc totum lamentatio erat. Ad huiusmodi lamentationem non plixerunt quia peccitantiam non egerunt, immo & uelut insanum detestati sunt. Propterea dicit. Venit Iohannes neque manducans neque bibens, & dicunt. Daemonium habet. Nonne ergo inexcusabilis est generatio hæc? Plane inexcusabilis, ut stulti pueri. Deus autem uel sapientia dei non est unde arguatur, ita ut constanter dicere possit. Quid ultra debui facere tibi & non feci? Propterea dicit. Et iustificata est sapientia à filiis hominum. Iustificata ueraciter iustificatione illa, quam Psalmista desyderans dicebat. Vt iustificeris in sermonibus tuis, & uincas cum iudicaris. Vere magna & gloriola iustificatio, cuius apostolus hoc modo meminit. Quid enim si quidam illorum non crediderunt? Nunquid incredulitas illorum fidem dei euacuavit? Absit. Est autem deus uerax, omnis autem homo mendax, sicut scriptum est, ut iustificeris in sermonibus suis & uincas cum iudicaris. Poterat ergo dicere sic. & iustificatus est in sermonibus suis deus, fideliter adimplendo, quod patribus promisit, proximus factus per assumptionem carnis generationi huic ingrat & mendaci: sed quia de pueris similitudinem proposuerat, dicere maluit & iustificata est sapientia à filiis suis: quia uidelicet pueri qui dicunt, cantauimus, lamentauimus, ipsi sunt filii sapientiae, & ipsorum cantare siue lamentari est, iustificari, laudare & glorificare sapientiam dei, cuius summum opus est incarnatione siue aduentus filii dei. ¶ Tunc coepit Iesus exprobare ciuitatibus, in quibus facte sunt plurime virtutes, quia non egissent poenitentiam. Ve tibi Lorozaim, ve tibi Bethsaïda. Quia si in Tyro & Sydone facte essent virtutes, que facte sunt in vobis, olim in cilicio & cinere peccitantiam egissent. Ueruntamen dico vobis, Tyro & Sydone, remissius erit in die iudicii quam vobis. Et tu Capharnaum, nunquid usque in celum exaltaberis? Usque in infernum descendes. Quia si in Sodomis facte fuissent virtutes, que facte sunt in te, forte mansissent usque in hanc diem. Ueruntamen dico vobis, quod terre Sodomorum remissius erit in die iudicii quam tibi. Mirum do positi illam sententiam, quam dixit, & iustificata est sapientia à filiis suis, ita subiunctum est, tunc coepit exprobare ciuitatibus illis. ¶ Nam uere capitulum hoc magnum est, & à sanctis patribus scrupulose tractatum, qui utique sapientiae filii, sapientiam eandem in omnibus iustificare studuerunt. Ecce enim quasi oppositum. Si (inquit) in Tyro & Sydone factæ essent virtutes, que factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere peccitantiam egissent. Si in Sodomis factæ fuissent virtutes, qua factæ sunt in te o Capharnaum forte mansissent usque in hanc diem. Cur ergo illuc uel illuc prædictores non misit. Cur virtutes, quatenus fierent in eis, non procurauit? Itaque consequens uisum est, quod illos saluos fieri noluerit: & deficiente ratione hoc solum sufficere nobis voluerunt, quia cuncta dei iudicia iusta sunt, & quia nemo potest uniuersum eorundem iudiciorum deipet netrare profundum. ¶ Sed nos excitati quorundam modernorum importunitate, qui sentire uisi sunt contra illam apostoli sententiam. Qui omnes hoiles uult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis

Locus dis  
ficiens.

Roma. 15.

Timo. 2.

veritatis uenire: animaduertimus, non consequi, quod illos deus saluos fieri noluerit, scilicet Tyrios & Sydonios atque Sodomitas per quas ad penitentiam agendam excitareruntur, non procurauit. Hoc potius consequenter intelligi debet, quod de illorum penitentia non curauit. Nunquid enim quemque penitentia curae esse debet deo altissimo? Non utique, sed penitentia illa quae est secundum deum, qualem tunc ipse prædicare incipiebat, diceris, Penitentiam agite, appropinquabit enim regnum celorum. ¶ Est autem alia penitentia secundum seculum, qualem agere potuit impius Achab, scindens uestem suam, & ostendens carnem suam, jejunans & dormiens in sacco & ambulans demissio capite propter sermones Helie quos dixerat, si mortuus fuerit Achab in ciuitate, comedent eum canes; autem mortuus fuerit in agro, comedent eum uolucres cœli. Nunquid iste penitentia egit propter regnum celorum? Non utique, sed propter regnum terrenum, propter uitam praesentem, & ne insepolitus projiceretur contra honorem regium. ¶ Similiter Niniuitæ nunquid penitentiam egerunt propter regnum celorum? Non utique, sed propter hoc tantum, ne subuerteretur illa Niniuitæ. Nunquid uero penitentiam pro causa humiliandi agere, id est, quod saluum fieri, uel saluum esse? Illa namque penitentia salutem assertat que secundum deum est, quae pro spe agitur seculiuenturi, pro menti gehennæ, pro amore uitæ aeternæ. ¶ Unde diligenter notandum, quia non dixit, si in Tyro & Sydone, si in Sodomis factæ fuissent uirtutes quae factæ sunt in uobis, salui fuissent: sed olim (ait) in cœlio & cinere penitentiam egissent, & forte mansissent usque in hanc diem, quorum neutrum id est ac si dicaret, salui fuissent. Ut igitur & in isto non solum fideliter, uerum etiam scienter iustificata sit sapientia à filiis suis, querenda erat diligentius intentio praesentis capituli, & deo dante, citius occurrit. ¶ Intentit enim demonstrare dicendo haec dominus noster, ludæos cum tuis gentibus, etiam infidelibus, esse deteriores. Duo enim illis prædictabar, & ut cederent, uirtutes faciebat, scilicet & temporale excidium loci uel gentis, quod futurum erat, & factum est à Romanis; & aeternam penitentiam gehennæ ignis, quae in die iudicii parata est diabolo & angelis eius, & hominibus impijs. Cum utrumque prædicaret Iudeis, penitentiam non egerunt. Num uerbum si fuisset prædicatum Sodomis, Tyris ac Sydonijs, cum testimonio tantarum uirtutum, scilicet temporale exterrimatum, quod passuri erant, penitentiam egissent sicut & prophetis dominus dicere solebat. Exempli gratia. Et si ad illos mittere te ipsi audirent te, domus autem Israhel nolunt audire, quia nolunt audire me. Et hoc in Niniuitis probatum est. ¶ Porro alterum, si tunc prædicatur illis fuisset regnum dei, non credidissent neque penitentiam egissent. Unde nec fuissent salvi, & siccirco prædicatoris eis mittere non curauit. His dictis pro quaestione, non difficile, nunc ipsa scrutemur uerba præsentis capituli. ¶ Vnde tibi (inquit) Corozaim, uæ tibi Bethsaida. Quoniam Corozaim interpretatur hoc mysterium meum, pulchre per hoc ipsum uocabulum commonemur, in his uerbis sensum sequi mysticum, incipientes ab interpretatione nominum. Corozaim ergo, cui uæ, interpretatur (ut iam dictum est) hoc mysterium meum, generationis illitus, contra quam maxime loquitur, significat superbiæ suæ sapientiam uanam, cui dum absconduntur haec (ut postmodum dicturus est) nimis quodammodo dicitur hoc mysterium meum uobis absconditum, non uobis, sed parvulis reuelandum. Bethsaida, cui similiter uæ, interpretatur domus frugum, sive domus uenationis, & illorum significat auaritiam, quos eiiciens, scriptum est, ait, domus mea domus orationis uocabitur, uos autem fecistis illam speluncam latronum. Capharnaum, cuius exaltationem percutiens, Descendens (ait) usque in infernum, interpretatur uilla consolatoria. ¶ Eos omnes denotat, qui ab isto seculo capiunt consolationem. Exempli gratia, ut illi ledives, qui dicebat animæ suæ, anima habet multa bona posita in annos plurimos, requiescit in infernum. Taliu[m] quales isti tribus nominibus denotantur, notissimi genitrix illius pueri fuerunt, quia non per ignorantiam, sed per superbiæ & per inuidiam saltare noluerunt, & propter auaritiam plangere noluerunt ad euangelicæ prædicatio[n]is cantum sive lamentum. ¶ Econtra gentes, quæ ignorabant & errabant & auditio Evangelio uisusq[ue] uirtutibus credituræ erant, per haec nomina mystice designantur, Tyrum, Syria.

addo t[em]p[or]is  
eis fieri uit[er]b[us]  
tutes,  
March. 4

3. Reg. 21

Ionæ. 3

Iudeæ cum tuis  
gentibus des-  
terioribus.

Ezech. 3

Ionæ. 3

Corozaim

Bethsaida

Matth. 21

Iohann. 2

Capharnaum

Lucæ. 12

CXXX. RUPERTI IN MATTHAEI. Cap. XI.

rum Sydonem & Sodomam. Tyrus nanque angustia, Sydon ueratio, Sodoma muta siue silens pecus interpretatur. Talis erat gentilitas. Erat enim in angustia, uidelicet, sicut Tyrus mari, ita profundo ignorantiae circumdata. Erat uenatio, scilicet malignorum spirituum, quasi deorum, ut putabat, laqueis irretita. Erat muta uel quasi pecus silens, quia sola quae carnis sunt sapiens, ea quae sunt spiritus, cogitare aut loqui nesciebat. ¶ Talium ante aduentum Christi nonnulli, scilicet Niniuitae, poenitentiam egerunt pro solo meo temporalis exterminio: post aduentum uero eiusdem Christi, quam multae gentes pro solo auditu iudicij uel seculi uenturi, Iudeis in incredulitate perseverantibus, cum utrung<sup>ut</sup> supra iam dictum est) praedicatum fuisset eis. In his & in ceteris huismodi iudicij iustificatur sapientia a filio suis, & non a semetipuis, sed ex reuelatione superna gratia hochahent, ut eam iustificare norint. Vnde protinus Euangelista subiungit. In illo tempore respondens Jesus dixit. Confiteor tibi pater domine coeli & terre, quia abscondisti hec a sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea parvulis. Ita pater quoniam sic fuit placitum ante te. Ad ea, quae sibi in scripturis dici nouerat, qualium unum est illud, quod supra demonstrauit, ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui prole uiam tuam ante te respiciebat ut diceret. Confiteor tibi pater domine coeli & terra, quia abscondisti haec a sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea parvulis. Et iccirco pulcherrime atque sanctissime dictum est, in illo tempore respondens Jesus, De his maxime scripturarum uocibus, quae ex persona patris ad filium uel de filio proferuntur, illud sciendum, quia tanta tamq[ue] gloriosa continent sacramenta, ut pro ipsis confessione, id est audatione, merito respodere debuerit ipse filius. Exempli gratia, ut illud. Exurge gloria mea, exurge psalterium & cythara. Huic dicto ex persona patris respondens filius, Exurgam (inquit) diluculo, statimq[ue] sequitur. Confitebor tibi in populis domine, & psallam tibi in nationibus. Et in alio psalmo dicit. Propterea confitebor tibi in nationibus domine & nomi- ni tuo psalmum dicam. Præmisserat autem de parvulis quidem, quibus haec reuelanda erant, populus quem non cognoui seruuiuit mihi, in auditu auris obediuit mihi: de sapientibus autem & prudentibus, quibus haec abscondita & abscondenda erant, filii alienigeniti sunt mihi, filii alieni inueterati sunt, & claudicauerunt a semitis suis. Igitur secundum scripturas ueritatis loquens & confitens, id est laudans, postquam contra superbos dixit, cantauimus uobis & non saltastis, lamentauimus & non planxitis, quasi consolatus consolatione, quam per prophetam prædixit hoc modo, Heu, consolabor super hostibus meis & vindicabor de inimicis meis: quia abscondisti haec a sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea parvulis. Et repetens appellationem reuerendam pro re imaginidine, ita (inquit) pater, quoniam sic fuit placitum ante te. Vtique haec dicens & ita confitens, facit ipsi se primus & princeps quod dixerat, & iustificata sapientia a filio suis, iustificat enim a summus homo in iudicij suis. ¶ Et notandum, quod deum creatorem omnium, patrem suum, coeli autem & terræ dominum uocat. Eius enim solius natura deus pater est, coeli autem & terræ, id est, omnium uisibilium atque inuisibilium, dominus est. Sequitur. Omnia mihi tradita sunt a patre meo. Et nemo nouit filium, nisi pater, neque patrem quis nouit, nisi filius, & cui voluerit filius reuelare. ¶ Quorsum edidit haec summa enunciatio? Eo nimur ut animaduerterent audientes, quod non esset ipse (ut putabatur) filius Ioseph, immo esset filius omnipotens, omnia in potestate habens dei, & poterat quidem dicere sic, non sum filius Ioseph, sed sum filius dei: sed inuidiam maiorem exercitaret hic modus locutionis. ¶ Maluit ergo dicere, omnia mihi tradita sunt a patre meo. In quo dicto sonus suauior, et sensus idem est. Nemo enim, nisi solus deus omnia tradere potest filio suo. Hor ipsum autem cum autoritate scripturæ dicit. Exempli gratia. Aspicebam (inquit Daniel) in uisu noctis, et ecce in nubib[us] coeli quasi filius hominis ueniebat, et usq[ue] ad antiquum dierum peruenit, et in conspectu eius obtulerunt eum, et dedit ei potestatem et honorem et regnum, et omnes populi, tribus, et linguae ipsi seruient. Amplius autem ex eo, quod sequitur, demonstrat loge supra esse, quam si esset (ut putabatur) filius Ioseph. Et nemo (inquit) nouit filium, nisi pater, neque patrem quis nouit, nisi filius, et cui voluerit filius reuelare. Nonne hominem illum, qui haec loquebatur, se nosse arbitrabantur, immo

Malach. 3.

In illo tempore  
dens ihesus.

Psal. 56. 507.

Psal. 17.

Esaie. 5.

Lucas. 3.

Omnia mihi  
tradita sunt.

Danie. 7.

DE GLORIA ET HON. FILII HOMI. LIB. IX. CXXXI.

filius reuelare. Nonne hominem illum, qui haec loquebatur, se nosse arbitrabantur; immo nimis illum se nosse putabant, maxime homines patriæ eius, unde & postmodū scriptum est. Et ueniens in patriam suam, docebat eos in synagogis eorum, ita ut mirarentur & dicerent. Vnde est huic sapientia haec, & uirtutes? Nonne hic est fabri filius? Nonne mater eius dicitur Maria, & fratres eius Iacobus & Ioseph & Symon & Iudas. Et sorores eius nonne aī pudnos sunt? Vnde ergo huic omnia ista? Et scandalizabantur in eo. Adeo totum se nosse illum putabant, & male putabant. ¶ Oportune ergo ipse qui (sicut Apostolus ait) si nos negaverimus eum, fidelis permanet, negare seipsum non potest, oportune (inquam) & ut omnino necessarium erat, confitetur quia filius dei sit. Nam uere illi, qui aures illas quas ista dicturus requirebat dicens, qui habet aures audiendi, audiat: Confessio ista confessio magna est, quia sicut de Iohanne narrat Evangelista, dum interrogaretur, tu quis es & confessus es & non negauit, & confessus est, quia non sum ego Christus; ita & secundum dum confessorem istam ubi hic interrogatus, tu es qui uenturus es, an alium expectamus; confiteor (inquit) tibi pater, &c. recte dicat prudens auditor, quia confessus est & non negauit, & confessus quia ego sum Christus filius dei. ¶ Nec uero sensus iste priorem destruit, quo cum dicimus confessionem pro laude accipi, solemus uti testimonio uerbi praestantis, quo dixit, confiteor tibi pater, quia uere laus est ei confessio ueritatis, quam in illo tempore confiteri coepit, confitendo se esse filium dei uerbis istis, omnia mihi tradita sunt à patre meo, & nemo nouit filium, nisi pater, neque patrem quis nouit, nisi filius, & cui uoluerit filius reuelare. Etenim confessione hac perseuerauerit usque ad mortem, ubi & coram Pilato dixit, Ego in hoc natus sum, & ad hoc ueniui mundum, ut testimonium perhibeam ueritati. Et coram principe sacerdotum, dicente, Adiuro te per deum uiuum, ut discas nobis si tu es CHRISTUS filius dei, Respondit, Tu dixisti. Pro hoc nomine martyrizatus est ipse testis fidelis, clamantibus Iudeis ad Pilatum. Nos legem habemus, & secundum legem debet mori, quia filium dei se fecit. Et ne quis dubitet testimonium illud recte confessionem dici. Paulus Apostolus ad Timothæum dicit. Praecipio tibi coram deo, & qui uiuiscat omnia & Christo Iesu, qui testimonium reddidit sub Pontio Pilato bonam confessionem, ut seruies mandatum. Vere bona confessio, qua ueritas incarnata simul utrumq[ue] assent, uidelicet & quod ipse Iesus Christus filius dei sit, et quod utraq[ue] scilicet diuina pariter et humana, non duæ personæ, sed una persona sit. Non enim dicit, omnia mihi tradita sunt à patre uerbi mihi insiti, sed à patre meo inquit: cum utraq[ue] confiteretur, quia diuina CHRISTI natura, uerbum deus nihil unquam non habuerit, sed humanæ tantum naturæ traditum sit, quod ante non habuerat, scilicet omnis potestas in celo et in terra. ¶ I. Tercium sciendum, quia sicut, ubi dixit, neque patrem quis nouit, nisi filius, subiungit, et cui uoluerit filius reuelare: ita ubi præmisit, et nemo filium nouit, nisi pater, subaudiatur oportet, et cui uoluerit pater reuelare. Nam sicut de reuelatione, qua patrem reuelat filius testimonium, hoc habemus. Pater manifestauit nomen tuum hominibus, quos dedidisti mihi, et cetera huiusmodi ditta et de reuelatione, qua filium reuelat pater testimonium illud habemus. Beatus es Symon Bar Iona, quia caro et sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui in celis est. I. Paulus autem reuelationis operatio, sancti spiritus aspiratio est, per quem cognoscitur filius, cognoscitur pater, cognoscitur et ipse qui unus amborum spiritus est. In qua reuelatione quantæ dicitur, quanta consolatio fit ex uerbis sequentibus uult intelligi. ¶ Uenite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Tollite uigum meum super vos, et discite a me, quia mitis sum et humilis corde, et inuenientis requiem animabus vestris. Jugum enim meum suave est, et onus meum leue. ¶ Quam uera sint ista, ille scit qui experiri meruit, qui postquam laborauit et oneratus fuit, uocē hanc audiuit invitantis, et refectus est. Exempli gratia, Paulus Apostolus, qui dixit, qualiter est quod oculus non uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascedit, q[uod] preparamvit deus his qui diligunt illum, statimq[ue] subiuxit, nobis autem reuelauit deus per spiritum suum, ipse expertus est. Laborauerat enim in eo maxime quod adhuc spirans minag[er]at et caedis in discipulos domini, persecutus erat eos usque ad mortem, alligans et tradens in custodias iugos ac mulieres, et oneratus fuerat non solum onere peccatorum, uerum etiam

Matth. 13,

Bona & optima  
na confessio  
Chri de se p[ro]p[ter]e  
z. Tmo. 2.

Iohan. 3,

Iohan. 3,

Matth. 26

Iohan. 3,

i. Tmo. 6.

ad. t natura

Et pater reue  
lauit & filius;

Iohan. 17

Matth. 16,

i. Cor. 2,

Actu. 9,

## CXXXII. R VPERTI IN MATTHAEI:

Cap. XII.

Actu. 15.

onere quod portare contendebat cæremoniarum carnaliū, quod neq; patres nostri (ait Petrus Apostolus) neq; nos portare potuimus. Audiuit beatam invitationem hanc, & uenit, & refectus est. Non quidem fam turc pleno conuiuio satiatus est, sed patuo interim gustu refectus, donec ueniret quod perfectum est. Quid putas illa perfectio uel quantū habet suauitatis? Quantum reficit? Parvus iste gustus, uere fateor & nō incertus credo, quia nullo potest exprimi eloquio. Sentiri potest, edici nō potest. Quāto magis illa perfectio? Et quotus quisq; est, qui illud quoq; quod sequitur, digne possit appendere? ¶ Tolle (ait) iugum meum super uos, & discite à me quia misericordia mea & humilis corde. O laborantes, o onerati, qui cum iugo peccati & onere mortalitatis, quod commune est humano generi, regum quoq; uel dominorum dura imperia sustinuitis, quales potius ferat quām homines merentur dici, sicut haec tenus apud Daniëlem præsignatum per quatuor facies ferarū, leonē & ursi, pardi & illius sine nomine bestiæ terribilis atq; mirabilis, dentes magnos, dens ferreos habentis, & uos (inquam) defessi ac detriti iugo dominorum huiusmodi, uenite (ait) ad me, & ego reficiam uos. Ecce facies mea facies est hominis, & ecce ego sum ille filius hominis, qui post illas feras ueni in nubibus cœli, & usq; ad antiquum dierum peruenientium dierum patrem meum, cui nunc confitens dico, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea parvulis. Non sum ut feræ illæ, sed homo sum, misericordia & humilis corde. Sub iugo illorum, non hominum, sed ferarū, laborantis & onerati fuisti sub iugo meo inuenietis requiem animabus uestris, quia iugum meum suave est, & onus meum leue: ita ut scienter dicatis, quia nō me uiuere, & mihi seruire regnare est. ¶ In illo tempore, abiit Jesus sabbato per sata, Discipuli autem eius esurientes, coeperunt vellere spicas & manducare. Pharisæi autem uidentes, dixerunt ei. Ecce discipuli tui faciunt quod non licet eis facere sabbatis. At ille dixit eis. Non legistis quid fecerit David, quando esuristi, & qui cum eo erant, quomodo intravit in domum dei, & panes propositionis comedit, quos non licet ei edere, neq; his, qui cum eo erant, nisi solis sacerdotibus. Aut non legistis in lege, quia sabbatis sacerdotes in templo sabbatum violant, & sine crimine sunt? Dico autem vobis, quia templo maior est hic. Si autem scriberis, quid est misericordiam volo & non sacrificium, nūquam condemnassetis innocentes. Dominus est enim filius hominis etiā sabbati. ¶ O uos parvuli, quibus pater ista reuelauit, quid uobis per istam rem gestam reuelatione dignum emicuit? Multa enim alia fecit dominus Iesus, que scripto sunt, & si scriberentur per singula, nec ipsum (ait Euangeliſta Iohannes) arbitror mūlum capere eos, qui scribendi sunt libros. ¶ Quare ergo de multis que scripta nō sunt, inter pauca istud conscribi dignum fuit, quod abiit dominus Iesus sabbato per sata, & discipuli eius esuriētes, ceperunt uellere spicas & manducare. Pharisæi autem uidentes, dixerunt ei, ecce discipuli tu faciūt qd non licet eis facere sabbatis. Quare (inqua) nisi quia responſio quā respondit eis, multum pertinet ad uenerabilem confessionem illam, qua (ut iam dicitur est) confessus est se esse filium dei, sic incipiens, confiteor tibi pater domine cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea parvulis. Dixit enim. Dico autem uobis, qui templo maior est hic. Item dixit. Dominus est enim filius hominis etiā sabbati. Nobis scire hæc expediebat, & i cœlo scripta sunt, & scribi debuerunt tanta hæc maiestatis eius præconia. ¶ Quantum enim hoc est quod ait, dico uobis, quia templo maior est hic? Nam propter honorem nominis diuini, magnum quid est templum, ita ut reverentiam debeat templo quicunq; cupit esse subditus, & reverentiam præstare deo. Nimurum cum dicit, templo maior est hic, nec altare excipit, quo procul dubio nihil maius est quām deus, cuius altare est. Nam propter nomen domini, cui specialiter altare dicatum est, omni creature ipsum altare reverendum est. Ergo dum dei filium sese hoc dicio confitetur, qui ueraciter templo uel altari i cœlo maior est, quia deus. ¶ Cū item dicit, Dominus est enim filius hominis etiā sabbati, profecto omnium dominum & deum se esse uenerabiliter constituit. Nullus est enim dominus sabbati, nisi deus ipse, qui sabbatum constituit. His dicit pro gloria illius iam dictæ confessionis, consideranda sunt duo hæc argumenta innocentia, quibus discipulos defendit, dicens. Si autem sciretis quid est, misericordiam volo & non fa-

Lugdū dñi sua  
ue & on<sup>bleue</sup>

Danie. 7

CAP. XII

J. Reg. 21

Exodi. 25

Osee. 6

Iohan. 21

Quæſio

Responsio

Templo ma-  
ior est hic.Dñs est filius  
hois etiā lab-  
bati.

non  
legit  
mu-  
rant,  
qui pa-  
tas ex-  
nos era-  
dubio  
dicens  
argu-  
clom-  
retis.  
ficit, q-  
illius f-  
Christ-  
nocent-  
faerde-  
ausum  
tes &  
los du-  
tuso, q-  
furæ in-  
tionis.  
fionne-  
re, an di-  
offerre  
utilis op-  
held in se  
Moyſi  
super ec-  
at cum  
bus & tr-  
ex infir-  
sabat u-  
ro qua p-  
fus domi-  
ceptum  
illoram.  
domini  
plo mai-  
ðtu quif  
gan co-  
tes, filia  
vobis f-  
nerene-  
ris ben-  
ta estla-  
dens, &  
us dei, if  
sic opera-

DE GLORIA ET HON. FILII HOMI. LIB. IX. CXXXIII

non sacrificium, nunquam condemnassetis innocentes. ¶ Primum est quod ita dixit. Non legitis quid fecerit David, quando esurijt, & qui cum eo erant, quomodo intravit in dominum dei & panes propositionis comedit, quos non licebat ei edere, neq; his qui cum eo erant, nisi sacerdotibus solis. Duo tunc David fecisse legitur: quorum in altero sacerdotem, qui panes propositionis esurienti dedit, misericordia iustificat: & eū, qui comedit, necessitas excusat. In altero autem semetipsum David idem iure accusat, dicens ad eum qui residuit erat, scilicet Abiathar. Sciebam in die illa, quod cum ibi esset Doech Idumæus, procul dubio annunciat Saul. Ego sum reus omnium animarum patris tui. Fesellerat eum enim dicens. Rex praecepit mihi sermonem & dixit. Nemo sciat rem propter quam à me missus es. &c. Hæc iecirco dixerim, ne non satis congruum videatur, induxisse sermonem pro argumento innocentiae discipulorum spicas sabbato uellentum & manducantium. Nam dominus quid in illa re historica suo iudicio defenderit, satis indicat, dicendo. Si autem sci retis, quid sit, misericordiam uolo & non sacrificium, nunquam condemnassetis innocentes. Quæ sententia de propheta Osee sumpta, sicut illum sacerdotem de misericordia iustificat, qui melius existimat esurienti laico dare panes propositionis, quam obseruare ritu illius sacrificij: sic econtra de inclemencia condemnat pharisæos, qui maliens discipulos Christi fame perire, q; spicas sabbato uellendas concedere. ¶ Secundum siue alterum in innocentiae discipulorum eius argumentum hoc est. Aut non legitis in lege, quia sabbatis sacerdotes in templo sabbatum violant, & sine crimen sunt. Violant (ait) uidelicet secundum auctum præiudicium uestrum. Nam reuera non violant in priori tabernaculo semper introeunt & sacrificiorum officia consummantes. Per singulos dies, ait lex, iugiter annos agnicius duos, unum manu agnum, & alterum uespere decimam partem similiæ consperse oleo tufo, quod habeat mensuram quartam partem Hin, & uinum ad libandum eiusdem mensuræ in agno uno. Alterum uero agnum offeres ad uesperam, iuxta ritum matutinæ oblationis. Hoc agentes sabbato æque ut prima uel secunda sabbati profecto sabbatum violat si omne opus absq; illa exceptione sabbati violatio est. Quid em operiosius est, spicas uelle, an duos agnos anniculos cædere & pelles eorum detrahere, & eos cum libamentis suis offere mane & uespere? ¶ Sed ita demū sabbatum uiolatur, si quis faciat seruile opus. Seruile operi diffinitio uera, est præcepti contemptus. Exempli gratia. Cum essent filii Israhel in solitudine, & inuenissent hominem colligentem ligna die sabbati, obtulerunt eum Moysi & Aaron & universæ multititudini. Qui recluserunt eū in carcere, nescientes quid super eo facere deberent. Dixitq; dominus ad Moysen. Morte moriatur homo iste, obruat eum lapidibus omnis turba extra castra. Cuncti eduxissent eum foras, obruerunt lapidis & mortuus est, sicut præceperat dominus. Opus illius hominis non ex ignorantia, nō ex infirmitate, sed ex superbia uenit, & peccatum eius contemptus fuit. Recte ergo tanq; ibidem.

Excusatio discipulorum propter factum David in Nobe, i. Reg. 21

Osee. 6.

Iuge sacrificium propter singulos dies in lege

Exodi. 29.

Quo uiolatur sabbatum Nume. 15.

Ibidem.  
Obiectio.

Solutio.

garn eorum: Et ecce homo habens manum aridam. Et interrogabant eum dicentes, si licet sabbatis curare, vt accusarent eum. Ipse autem dixit eis. Quis erit ex vobis homo, qui habet ouem ynam, et si ceciderit hec sabbatis in foueam, non netenerebit tenuabit eam? Quanto magis melior est homo oue? Itaq; licet labborum. Iecirco sacerdotes sabbato hæc facientes sine crimen sunt, quia faciunt in templo domini, ex præcepto eius qui dominus est etiam sabbati. Ad hæc ille. Dico uobis, quia templo maior est hic, & dominus est filius hominis etiam sabbati. Quibus uerbis si non credis, o tu quisquis es, operibus crede. Sequitur em. L. Et cum inde transisset, venit in synagogam eorum: Et ecce homo habens manum aridam. Et restituenda est sanitati sicut altera. ¶ Si inquam uerbis nō credis, o tu quisquis es sapiens uel prudens, & parvulus nondum esse didicisti, qualium supra in confessione sua meminit iste filius dei, iste maior templo, & dominus etiam sabbati, operibus crede. ¶ Nunquid em sic & sic operaretur, si in confessione ista fuisset mentitus? Cōsiteor tibi (inquiens) pater, & omnia mihi tra-

CXXXIII. R VPERTI IN MATTHAE. CAP. XII.

Ezech. 28

mibi tradita sunt à patre meo, & templo maior est hic, & dominus est filius hominis etiam sabbati. Ille qui semetipsum mendaciter magnificauit, qui (sicut per Ezechielem exprimitur illi) eleuans cor suum dixit, Deus ego sum, & in cathedra dei sedi, & ego feci me, metipsum, quia mentitus est, iecirco tanquam superbus iudicatus est, & nihil unquam diuinum, nihil utile fecit.

Numc. 1z.

Veniam ad homines quorum extollentia de scripturis nota est. Maria prophetes, soror Moysi & Aaron, quia locuta est contra Moysen dicens, num p solum Moysen locutus est dominus, nonne & nobis similiter locutus est? non impune transiit, sed tanquam superbe locuta, confusibilem poenam recepit, operuit enim eam cadens lepra quali nix. Amplius autem Chore, Dathan atq Abyron in superbiam erexit & sacerdotium uendicantes sibi, poenam terribilem receperunt, alij ccelitus igne consumpti, alij uiui à terra absorpti. Saul quoq rex quondam electus dei, propter superbiam proiectus, & maligno spiritui traditus est.

Numc. 16.

**J. Reg. 16**  
**Chri cōfessio  
oīm maxima**

¶ Iste maiora de semetipso confitens, quād alii quis illorum hominum peccatorum, maiora & maiori cum potestate fecit opera, quād aliquis hominum iustorum, ut est illud, quod protinus, cum dixisset, dominus est enim filius hominis etiam sabbati, transiens & ueniens in synagogam ipsa die sabbati, homini manum habenti aridam, non precem fundendo, ut quiuis sanctus homo, sed imperando ut deus, dixit, extende manum tuam, & extendit. Igitur & ex hoc & ex ceteris operibus, que post tantam confessionem illam fecit, qualia nemo alias fecit, uobis & sapientes & prudētes, constans esse debuisset, quia dei filium et etiam sabbati dominum se esse confitendo, non mentitus est. Sed quid sequitur? L Euntes autem pharisei, consilium faciebant aduersus eum, quomodo eum perderent. Ergo causa absconsionis, quam supra dixit, quia abscondisti hæc à sapientibus et prudentibus, inuidia ipsorum fuit. Superat enim, et ueritate sermonis et potentia virtutis, atq ideo de ignorantia inexcusabiles, consilium faciebant, quomodo eum perderent: nec desisterunt eiusmodi sapientes et prudentes, à uera sapientia, deinceps magis ac magis superati, et operibus bonis irritati, donec eum perderent ut eis uisum esset. Iusto igitur iudicio abscondisti (inquit) hæc à sapientibus et prudentibus. Quam uidelicet absconsionem continuo uerbis insinuauit mysticis sapientia iustifica ta et iustificanda à filiis suis. Sequitur enim. L Jesus autem sciens, recessit inde, & secuti sunt eum multi, & curauit omnes, & precepit eis, ne manifestum eum facerent. Nisi enim mysterium intelligas in illa præceptione, qua præcepit eis ne manifestum cum facerent, contrarium videbitur ei quod sequitur. Tunc oblatus est ei dæmonium habens cæcus et mutus, et curauit eum, ita ut loqueretur et uideret. Et stupebant orantes turbæ, et dicebant. Nunquid hic est filius David? Pharisæi autem audientes, dixerunt. Hic non ejicit dæmones, nisi in Beelzebub principe dæmoniorum. ¶ Ergo in præceptione huiusmodi mysterium est. Nimis forma serui homo exterior, consilio uel iudicio subseruens in sitæ sibi diuinitatis, ita locutus est, ita præcepit. Consilium hoc erat, iudicium istud erat, recedere ab inuidentibus et blasphemantibus ludæis, præcipere Apostolis uel prædicatores suis, ne apud illos docerent aut prædicarent, iuxta illud per Esaiam dictum. Et nubibus mandabo ne pluant super vineam meam imbre. Ad hoc pertinet, propheticū sub iungit Evangelista testimonium. L Et adimpleretur quod dictum est per Esaiam prophetam, dicentem. Ecce puer meus quem elegi. Bilectus meus in quo complauit anime mee. Ponam spiritum meum super eum, iudicium gentibus nunciabit. Non contendet, neq̄ clamabit, neq̄ audiet aliquis in plateis vocem eius. Has ruddinem quassatam non confringet, & linum fumigans non extinguet, donec ei iaciait ad victoriam iudicium, & in nomine eius gentes sperabunt. Si enim in eo, quod præcepit eis, ne manifestum eum facerent, nihil aliud attendas, nisi quod litera sonare uidetur, quomodo per hoc adimpletum est illud, quod hic in testimonio propheticō inter cetera dictum est, et iudicium gentibus nunciabit, et in nomine eius gentes sperabunt. ¶ Sed profectō in præceptione mysterium est mandati illius, quo (ut iam dictum est) mā dare habeat nubibus ne pluerent super vineam suam imbre, id est, A postolis suis, ne illis impenderent Euangelicam prædicationem, et excuso puluere pedum in eos, convertere tur ad gentes, quod et factum est, et hoc facto nimis iudicium gentibus nunciavit, & inno-

Cur Iesus in  
de recessit.

Esaiae. 5.

Esaiae. 4z

Et adimpleretur quod dictum est per Esaiam prophetam, dicentem. Ecce puer meus quem elegi. Bilectus meus in quo complauit anime mee. Ponam spiritum meum super eum, iudicium gentibus nunciabit. Non contendet, neq̄ clamabit, neq̄ audiet aliquis in plateis vocem eius. Has ruddinem quassatam non confringet, & linum fumigans non extinguet, donec ei iaciait ad victoriam iudicium, & in nomine eius gentes sperabunt. Si enim in eo, quod præcepit eis, ne manifestum eum facerent, nihil aliud attendas, nisi quod litera sonare uidetur, quomodo per hoc adimpletum est illud, quod hic in testimonio propheticō inter cetera dictum est, et iudicium gentibus nunciabit, et in nomine eius gentes sperabunt.

Matth. 10.

Actuū. 13.

¶ Sed profectō in præceptione mysterium est mandati illius, quo (ut iam dictum est) mā dare habeat nubibus ne pluerent super vineam suam imbre, id est, A postolis suis, ne illis impenderent Euangelicam prædicationem, et excuso puluere pedum in eos, convertere tur ad gentes, quod et factum est, et hoc facto nimis iudicium gentibus nunciavit, & inno-

DE GLORIA ET HONORIS FILII HOMINI. LIB. IX. CXXXV.

In nomine eius gentes sperabunt. Quia ob causam taliter mandare debuit, ne apud Iudeos prædicant aut docerentur. Ut adimpleretur quod dictum est de hoc pueri domini, de hoc electo & dilecto, bene seruiente in forma servi. Non contendet neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis uocem eius. Planè hoc nos intelligere vult, & plena contentionis, plena clamoris prædictio est, ubi cuncti Christus prædicatur Iudeis. ¶ Nolunt enim audiire, sed uerba uerbis contraria reddere, & sine sensu clamare, ut uel clamando uideantur uicisci, aut rationem habere cur euangelio non debeant cedere. Ergo non contendet (ait) neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis uocem eius, id est, mandabit de se non prædicta illis, quia communiter contentiosi sunt & clamosi, iuxta illud. Ne effundas sermonem, ubi non est auditus. Hinc est illud Apostoli ad Titum. Stultas autem quæstiones & genealogias & contentiones & pugnas legis deuita, sunt enim inutiles & uane. Item ad Timothæum. Stultas autem & sine discipline quæstiones deuita, sciens quia generant lites. Seruum autem domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes. ¶ Quod deinde sequitur. Haec raudinam quassatam non confringet, & linum fumigans non extinguet, circa ipsos Iudeos si recte potest intelligi, ut illud, cum iratus fueris, misericordiae recordaberis. Ecce enim uis biuenerunt Romani, gentesque & locum tulerunt, ciuitatisque & templi datus est in exustione ignis, tunc uirgines harundo quassata est, & extincit linum fumigat longa captiuitatis disperitione, palam cunctis exhibens suæ calamitatis monumenta. Sed neque harundinem sic quassatam confringet, neque linum sic fumigans extinguet, quia cæcitas ex parte contingit in Israhel, donec plenitudo gentium subintraret, & tunc reliquæ saluæ fient. Hoc est quod contumuo dicit. Donec ejiciat ad uictoriæ iudicium, & in nomine eius gentes sperabunt. Illud namque iudicium, de quo alibi dixit, in iudicium ego ueni in hunc mundum, ut qui non uident, videant, & qui uident cæci siant: relictis Iudeis & Gentibus in nomine eius sperantibus: ejicit, id est, fortiter peruenire facit, ad uictoriæ, & in hoc ipso multum proficit, quod haec raudinem, id est, Iudaici populi leuitatem, modo supradicto quassatam, non omnino confregit, & linum fumigans, id est eiusdem populi uetus sacerdoti, igne (ut iam dictum est) per ultum non omnino extinxit, sed semiuastum nunc usque in dispersione captiuitatis fumigare permittit. Multum (inquam) hoc ad illam uictoriæ proficit, iuxta sensum illius uersiculi ex persona huius pueri per Psalmistam prolati. Deus ostendit mihi super inimicos meos, ne occidas eos, ne quando obliuiscantur populi mei. Disperge illos in uirtute tua, & depone eos protector meus domine. ¶ Tunc oblatus est ei demonium habens, unus et mutus, et curauit eum, ita ut loqueretur et videretur, et stupebant omnes turbide, et dicebant. Nunquid hic est filius David? ¶ Pharisei autem audientes, dixerunt. Hic non ejicit demones, nisi in Beelzebub principe demoniorum. Ordoune mysticus ac diuinus. Quando dominus Iesus sciens cogitationes eorum, recessit inde, & sequentibus se præcepit ne manifestu eum facerent, tunc oblatus ei demoniu habens cæsus & mutus, et curauit eum, ita ut loqueretur et videretur: quia sic futurus erat, et sic factus est, ut quando ex reuelatione spiritus sancti, et autoritate scripturae, reliquis blasphemantibus ludatis, conuerterent ad gentes, tunc gentes audientes gauderent. sed ultero offerrent: quarum omnis multitudo, quoniam a principe huius mundi diabolo possidebatur, idola colens, et cretorem suum nec nominare sciens, et quo ducebatur nesciens recte per hominem defigata est demoniu habentem, cæcum et mutum. ¶ Futurus autem et hoc erat, ut propter eam, dem gentium conuersiōnem, Iudei magis ac magis blasphemarent, mira insania gentibus incidentes, gentium salutem odientes, ita ut ne audire quidem paterneretur hoc ipsum, quod de genibus deo cura esset. Exempli gratia. Cum Paulus ad plebem rationem reddens, illuc usque narrasset, et dixit ad me, vade quoniam ego in nationes longe mittam te, audiebat auctor scriptura usque ad hoc uerbum, et eleuauerunt vocem suam dicentes. Tollite de terra huic modi, non enim fas est eum vivere. Vicerantibus autem eis, et prouidentibus vestimenta sua, et puluerem iactantibus in aërem, iussit tribunus induci eum in castra, et flagellis cædi et torquet, ut sciret propter quam causam sic acclamarent ei. His atque alijs modis futurum erat, ut contradicerent his quæ ab Apostolis dicerentur blasphemantes. ¶ Tantæ blasphemæ initium blasphemæ, nisi tam et prodigiū fuit, quod pharisei audientes dixerunt. Hic non ejicit demonium,

Isaiae 42.

Iudeorū clas-  
mota peruis-  
catia.

Ecclesiastes 32

Titus 3  
2, Timo. 2.

Harudineq[ue]  
sua non con-  
tinget.  
Abacuc. 3.

Rom. 1.11.

Iohann. 9.

Psalms. 50.

Cæc[u]s & mu-  
tus demonia-  
cus gentes de-  
lignat.

Inuidia Iudeorū  
contra con-  
uersiōnē gen-  
tiū.

Actu. 22

CXXXVI. VI RUPERTI IN MATTHAEI Cap. XII.

nes, nisi in Beelzebub principe dæmoniorum. Et quia propter huiusmodi blasphemias & perseuerantem impietatem futurum erat, ut contra semetipso diuiderentur in quandam similitudinem dæmonum, quorum participem in diuisione ipsorum sacrilegi dicere aucti sunt filium dei, uenerabilis mysterii pulcherrimus ordo continuatur sic. **L** Iesus autem sciens cogitationes eorum, dixit. **O**mne regnum diuisum contra se, desolabitur. **E**t omnis ciuitas vel dominus diuisa contra se, non stabit. **E**t si Satanæ ejicit, aduersus se diuisius est. **Q**uomodo stabit regnum eius? **E**t si ego in Beelzebub ejicio demones, filii vestri in quo ejiciunt? Ideo ipsi indices vestri erunt. Si autem ego in spiritu dei ejicio demones, igitur perueni in vos regnum dei. **A**ut quomodo potest quisquam intrare in domum fortis, & vasa eius diripere, nisi prius alligauerit forem, & tunc dominum illius diripiatur. **S**cens, inquit, cogitationes eorum, uidelicet quod non per ignorantiam errarent, sed per inuidiam blasphemarent, cum aliud posset, istud in primis dicere maluit, omne regnum in seipsum diuisum, desolabitur, & omnis ciuitas vel dominus diuisa contra se, non stabit: sententiam utiq; veram, cuius veritate in semetipso experti erant. **F**uturum namq; (ut iam dictum est) hoc erat, & factum est ut regnum eorum & ciuitas præ clara ac ditissima Hierusalem, de foris Romano exercitu circundata, intus triplici diuisione contra se diuideretur: principibus diuisionum, Iohanne, Eleazaro, & Symone, summa & media & inferiora ciuitatis loca tenentibus, & mirabilis insania contra semetipso debacchantibus, tam atrociter ut ipsi hostes scilicet Romani doros infidelium casus miserarentur: qui inter illorum furias latronum nulla pace intercurrente consumebantur. Plane diuinitas, cui omnia præsentia sunt, hoc futurum tanquam præ sens iam uidebat: sed ut fieret, æquissimo iudicio decernebat, quoniam sic dicebant, & sic existimari uolebant de ipso dei filio, quod cum Beelzebub principe dæmoniorum pactū habens (quod auditu quoq; nefas est) concordi operatione per eum dæmones ejeret. **E**t ut iustissimum iudicium intelligas, percūctatur dicens ad eos. Et si ego in Beelzebub ejicio dæmones, filii vestri in quo ejiciunt. Ac si diceret. Et si uos nunc contra me tale verbum dicitis, quid facietis aut dicetis, cum filios vestros, scilicet Apostolos, postquam glorificatus fuero, dæmones ejercere uidebitis, manifesta operatione spiritus sancti non solum de corporibus obsecisis, uerū etiam de templis uel delubris, in quibus colunt pro diis. Quid tunc dicetis? **V**titq; dicetis, quia in Beelzebub faciunt hæc. Si enim patrem familias Beelzebub uocatis, quantomagis domesticos eius. Huiusmodi percūctatione præmissa, statim subiungit. Ideo ipsi iudices vestri erunt. Nam reuera, si finem fecissent blasphemandi, saltem ubi clamauerunt, reus est mortis, & non solummodo uerbum huiuscmodi dixerūt contra filium hominis, uerum etiam expiuerunt in faciem eius, & colaphis eum ceciderūt, & ad ultimum crucifixum prætereentes blasphemabant eum: si (inquam) saltem tunc finē fecissent blasphemandi, & non etiam post resurrectionem & ascensionem eius, missum de celo & in Apostolis loquentem spiritum sanctum, ac prædicantem penitentiam & remissionem peccatorum, similiter blasphemassent, non fuissent iudicati, non iudicassent eos filii ipsorum Apostoli. Verbi gratia, ut dicerent excutientes uestimenta sua, Sanguis vestier super caput uestrum, mundi nos ex hoc ad gentes ibimus. Nec uero torum iudicium, sed iudicij fuit initium, diuiso illa regni sue ciuitatis eorum. Perfectum & plenum tunc erit iudicium illorum, quando iudices illi, de quibus ait, ideo ipsi iudices vestri erunt, sedebut super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israhel, ita ut terra Sodomorum remissus uobeat esse q; illis, scilicet in die iudicii. **N**unc perpendere liber, ad quid inueniendum siue comprobandum summa sapientia fecerit syllogismum hunc, id est, argumentationem ex tribus partibus constantem, propositione, assumptione, conclusione. Præmissio namq; sciens cogitationes eorum, sic illum Euangelista proposuisse narrat. Omne regnum in se ipsum diuisum, desolabitur, & omnis ciuitas vel dominus diuisa contra se, non stabit. Propositioni huic, uellent nollent, audientes consentire oportebat. Sequitur assumptio, quamdem, uellent nollent, ueram esse concederent, scilicet Satanam esse diuisum contra se, quondam ipsorum erat sententia, in Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmones. Prinde assumens dicit. Et si Satanæ Satanam ejicit, aduersus se diuisius est. Statim cœcludit. Quo modo erit

**R**egnum Iudeorum in se diuisum.

**F**iliū uestri in quo ejiciunt.

**Matt. 26.27.**

**A**ctu. 5.2.

**Matt. 19.**

**Syllogismus pfectus Christi contra Iudeos.**

DE GLORIA ET HONORIS FILII HOMI. LIB. IX. CXXXVII

modo ergo stabit regnum eius? ¶ Quid sibi uult huiusmodi argumentatio? Nonne hoc manifeste innuit, quod scire cogitationes eorum tales esse, ut propositum haberent in regno Satanæ contra spiritum sanctum stare? Incredibile hoc uidebatur illi, cuius sensus non recipi uel non credit, quod ullus unquam homo foedus cum diabolo pepigerit. Porro Esaias de istis prophetauit. Propter hoc audite uerbum domini, uiri illufores, qui dominamini nisu per populum meum qui est in Hierusalem. Dixisti enim. Percussimus foedus cum morte, & cum inferno fecimus pactum, & cetera usque, & delebitur foedus uestrum cum morte, & pactum uestrum cum inferno non stabit. De istis (inquam) hoc Esaias prophetauit. ¶ Nam de eo quod postmodum dicit, & dixit dominus, eo quod appropinquat populus iste ore suo, & labijs suis glorificat me, cor autem eius longe est a me, & timuerunt me manus domini & doctrinæ: ipse dominus in hoc eodem Euangelista, taliter contra eos mentionem fecit. Hypocrite, bene prophetauit Esaias de uobis, dicens. Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longe est a me. Sine causa autem colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum. ¶ Miro igitur modo blasphemiam illogique assumptionem, duabus iustæ iræ cinxit sententia, ita proponens, omne regnum contra se diuifum, desolabitur, & omnis ciuitas tuus domus diuisa contra se, non stabit: qua sententia illud intendebat, ut iam dictum est, quod in oblatione Romanorum contra semetipsos forent diuidendi, sic quod casuri ac desolandi. Et ita concludens, quomodo ergo stabit regnum eius? qua sententia terribilius eosdem percussit, casurom cum diabolo in die iudicij. Quidnam est percunctari, quomodo stabit regnum eius, nisi ac si diceret, quomodo stabit illud quod pepigistis cum morte siue cum inferno, id est, cum diabolo, pactum uel foedus? Non enim foederatis suis, ut uos estis, pactum custodiire uel parere poterit mors siue infernus, flagellum inundans, id est, diabolus. ¶ Vane dixisti. Flagellum inundans cum transierit, non ueniet super nos, quia posuitis mendacium spem nostram, & mendacio protecti sumus. Cum ita secundum prophetam ueritatem speretis in protectionem mendaci, quasi in protectione stantis regni hoc dicitis contra me, dicitis odio mei, quia me agente Satanus Satanam ejicit, quod repugnans est eidem uestræ spei. Stulti & cœci, si Satanus Satanam ejicit, quomodo Satanus parcer uobis hominibus foederatis sis? Non ita, sed flagellum inundans, cum transierit, eritis ei in conculationem. Quod docunq[ue] pertransierit, tolleret uos, quoniam mane diluculo pertransibit, in die & in nocte, & tantummodo sola ueratio intellectum dabit auditui. Itud bene & ueraciter de uobis prophetauit Esaias. Flagellum enim inundans, id est diabolus, utique mors super peccatores inundans cum transierit, eritis ei in conculationem: quando pertransierit, tolleret uos. ¶ Duo dicta sunt. Cum transierit, conculcabit: quando pertransierit, tolleret uos. Ecce transibit iudicio senti, de quo nunc dico, nunc iudicium est mundi, nunc princeps mundi ejicietur foras, & tunc conculcabit uos. Cum enim resurrexero a mortuis, quod est illum foras mitti siue transire, tunc uos conculcabit conculatione exercitus Romani. Quando autem uenero in nubibus coeli ad iudicandum uiuos & mortuos, & ille uidentibus cunctis præcipitabatur, quod eritis illi pertransire, tunc tolleret uos, ut neque ipse neque uos amplius sitis, aut scandalum regna dei faciat. Illo iudicio manifesto in æternum pertransibit, & ictus sic dictum est, mane diluculo, in die & in nocte pertransibit. Omni enim æternitate cessabit, & tantummodo sola ueratio intellectum dabit auditui, quia ante illam præcipitationem non intelliget ipse, non intelligent foederati eius, quam stulti sint uel fuerint.

FINIS LIBRI NONI.

m 3

Iudei conser  
derati diabos  
lo.  
Esaias, 28

Iudei appro  
pinquabant  
deo, non corde  
sed labijs can  
tum & ore.  
Matth. 15.  
Esaias, 29  
Iudicium co  
tra blasphem  
iam eorum

Esaias, 28  
Flagellum  
inundans.

Duplex uinc  
dicta in Ies  
uus.  
Iohann. 12

Iob. 40  
Esa. 28